Nobilissimo Viro Constantino Hugenio

Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT.

Ingeniose admodum, nec sine sale praefaris, mi Hugeni, et
insignem istam meam [illegible] notas, quod libellum meum sic
satis superciliose absque litteris ad te miserim. Novi istud schema
Rhetorum: Sic sane oportuit, mi Barlaee &c. quasi dicas: minime
ita oportuit. Parum aberat, quin cum Augusto Caesare responderem:
Nesciebam, me tibi tam familiarem esse. Subrisi vero, cum non
minori dexteritate facti mei culpam in te transferes, ac si
tardiusculam tuam responsionem, aut intermissam aliquando
hoc vindictae genere ulcisci, hoc supplicii genere mulctare
voluerim. Quam vere Comicus ait: In amore haec omnia
insunt vitia, irae, metus, suspicio. Nimis meticulosus es, qui me tantilla
re offendi putas. aut minus tibi sum rerum humanarum intelligens,
qui nesciam aut publicis te negociis districtissimum esse, aut amicorum
officia ad stateram argentariam non esse expendenda. Age ergo,
laxabo amicitiae iura. Per me licet, non rescribas posthac, nisi
postquam ter te meis litteris in posterum interpellavero. Expetasne
benigniorem legum interpretem? Non sum is, Vir amplissime,
apud quem tam sollicite et operose culpam silentii diluere
necesse habeas. Non tenentur Principes legibus. nec tu
mecum comparatus. Inter dignitate impares amicos hanc
vult esse ἰσότητα Aristoteles meus, ut maior beneficiis, minor
obsequio, observantia et cultu maiorem sibi devinciat. Illud
fecisti tu non semel. posterius hoc ita me fiat, quavis
occasione annitor. Sed frustra de omissis litteris
παρεργωδῶς. En epistolam, quam cum libello mittere decreveram.
Eam dum operculo una cum libro inclusisse me puto,
iuxta pulpitum meum derelictam postero die offendi. Quare

Hi motus animorum, atque haec certamina tanta
Pulveris exigui iactu compressa quiescunt.

Heros, heros, tune Epigramma istud tuum in Manes
meos Auriacos scriptum mendum vocas? et tenebras
iuxta lucem positas? Ad Philosophum iterum appello,
qui in Ethicis et illam εἰρωνείας speciem damnat, qua
quis virtutes suas, resque laudatissimas depretiat. Si tu

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 22
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/390

maculam illud indigetas chartis meis adspersam, ego lemniscum
vocabo additum coronae pactili. Si tu imprudentiae me
insimulas, ego prudentiam interpretabor, ex tanti viri commendatione
gloriolam aucupari posse. Scis qualibus mercibus suspendenda
sit hedera. Tolle è libello meo augustos titulos Regis,
ac Principum: tolle celebria nomina Heinsij, Realij, Hooftij,
aliorumque, perierint impensae typographo. Si serio indicas
ἀμβλυωττῆς es, nec illapsum tibi in oculos phlegma, sed in
mentem. Eam tamen in amore mei constantem serva. Tibi
illam incolumem in corpore incolumi diu praestet vitae
nostrae supremus arbiter. Vale.
Lugd. Bat. E Musaeo nostro, tertio Nonar. Aprilis. cIↄIↄcxxxiii

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 22
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/390

Aen mijn heere
mijn heere
Constantinus Huygens,
Secretaris van sijn Princelycke
Ex.tie wonende achter
den Hoff

port

Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 22
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/390